

Universitätsbibliothek Paderborn

**Monitoria Directio Pro Ordinandis, Eorundemque
Examinatoribus, animarum Curatoribus, & Religiosis
secularium Confessariis**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agrippinae, 1663

Missa in privatis aedibus non celebranda, numer. 54.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9994

rochis ministrari, est vetitum; Proinde nulli Regulares, nisi de expressa nostra, vel nostri Vicarii Generalis, vel proprii Parochi licentiâ, audeant extra suas Ecclesias ulla Sacra menta, præter pœnitentiæ, administrare; quin etiam, si audierint alicujus infirmi confessionem in domo privatâ, id significant proprio ejus Pastori; sed nullatenus præsumat ægroto deferre secretò & sine lumine Sacro-Sanctam Eucharistiam, quod ne quidem ipsis Pastoribus permittitur; nec sollicitent ipsos ægrotos ad elendum in ipsorum Ecclesiis sepulturam; & si sponte eam elegerint, Ecclesiæ nihilominus Parochiali sua jura serventur.

Clem. Religiosi, de privileg.

*Missa in privatis ædibus non
celebranda.*

LIV. Quod concedi consuevit de-
sideriis diuturno morbo laborantium,
de Missa in suis ædibus interdum cele-
branda,

branda , paulatim longius progressum est, & tandem in apertum abusum contra sacros Canones (a) irreligiosè usurpatū. Cui malo occurrere volens Conc. Trid. (b) (ut omnis irreverentiæ circa Missæ Sacrificium tollatur occasio) statuit & absolute ordinavit, ne quis secularis aut regularis privatis in domibus atque omnino extra Ecclesiam & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab Ordinariis designata & visitata, Sanctum Missæ Sacrificium peragere præsumat. Quæ quidem ordinatio ut pro rei gravitate exactiorem observationem habeat, severè injungimus omnibus & singulis Civitatis & Archidiœcessis nostræ Pastoribus ac Presbyteris, tam secularibus , quam regularibus quibuscumque , ne quisquam prætextu cùjuscumque antiquæ consuetudinis vel statuti , aut privilegii deinceps dictæ ordinationi Concilii Tridentini controveniat , nec in privatis ædibus aut omnino extra Ecclesiam seu Oratorium

ad

ad divinum tantummodo cultum dedicatum, & Archiepiscopali nostræ auctoritate designatum & visitatum, Sacrosanctum Missæ Officium celebrare audeat; mandantes pariter laicis qui buscunque, ne per aliquos Presbyteros etiam exemplos, in suis ædibus Sacrificium Missæ, aliqua ratione celebrari petant, aut patientur. Si quis autem hunc decreto Tridentino, & prohibitioni nostræ contravenerit, tam is qui celebraverit, quam qui Sacerdotem ad celebrandum requisiverit, aut admisserit, arbitrio nostro graviter punietur, non obstante Apostolico privilegio, quo ei facultas id faciendi indulta erat; nisi illud prius nobis aut Generali nostro Vicario exhibitum & Archiepiscopali nostra auctoritate approbatum fuerit. Pastores autem subditos suos, qui morbo detenti, Ecclesiam visitare non possunt, doccant ut piâ devotione processuas jungant cum illis, qui corporali presentia diuinis officiis intersunt.

Et

Et ut ad excitandam devotionem observent divinorum officiorum tempora, vel campanarum pulsuum, per quem significatio fit Sacrorum quæ in templis peraguntur, & ubi corpore adesse non possunt, corde & piis orationibus sese præsentes statuant. Quod dum religiosè faciunt, & obediscent ordinationibus parent, per quas antiqui Canones in usum revocantur, plus in vera pietate proficient, quam si ex privata devotione, ad domesticas Missas importunè consensum extorqueant, vel sub prætextu privilegii, irreligiosam soveant singularitatem.

(a) cap. sicut, cap. Missarum, cap. hic ergo, cap. nullus Presbyter, cap. non oportet, c. Clericos, de consec. dist. I. (b) Concil. Trid. sess. 22. in decret. de obser. & evit. in celebratione Missæ.

Nemo